

EM. PHILIBERTVS. DEI. GRATIA. DVX. SABAVDIÆ

Chablasij et Augustæ, Sacri Romani imperij princeps vicariusq; perpetuus, Marchio in Italia, Princeps Pedemontium, Comes Gebennarum et Gebennesij, Baugiaci, Rotondimontis, Niciæ, ac Astæ, Baro Vaudi, Gaij, Faucigniaci, Bressiæq;
Vercellarum & Marchionatus Cevæ dominus, Serenissimi ac potentissimi Hispaniarum, Angliæq; &c regis Locumtenens et Capitaneus generalis in Gallia Belgica. &c. Cum superioribus annis barbaram illam rabiem atq; hostiles impetus
Turcicæ ac Gallicæ classis in non levem iacturam et perniciem urbis nostræ totiusq; patriæ Nicenæ adeo experti fuerimus, cum non modo urbem illam expugnaverit, ac omnem agrum Nicenum depopulata sit, verum quod gravius ferimus, atq;
dolemus, plures in servitutem ad triremesq; redegerit, ut nihil exinde magis animo nostro contenderimus, quam ut qua vi vel arte perpetuo hostes reijcere possemus, facultatem nobis constitueremus, idq; non aliunde nisi in muniendo portu Villefrancæ
facile fieri compertum et exploratum habuerimus. Quo circa non sine magno sumptu nostroq; dispendio eundem portum ita muniri iusserimus, atq; brevi in tuto ita redigendus sit, ut hostibus ipsam patriam amplius invadendi spem esse sublatam cre-
damus, sintq; munitiones supervacaneæ, et frustra eas fieri nemo inficietur, nisi illa omnia comparentur, quæ ad tutelam et securitatem earum necessaria futura sunt, id vero à nobis solis propter occupatas nostras ab hostibus provincias perfici non possit, sua-
deatq; naturalis ratio eos sequi incommoda quos commoda sequuntur, et omnes præsertim mercatores ex ea tutela et securitate non mediocrem utilitatem consequuturi sint, nullus autem facilior atq; æquior modus ad impensas constructionis murorum custo-
diæ militum commeatuum et aliorum omnium quæ ad usum ac defensionem munitissimæ arcis exiguntur sustinendas nobis offeratur, quàm ut de rebus quæ ad securitatem dicti portus tutissime à quibuscunq; periculis atq; insidijs redduntur ali-
quod solvatur vectigal ex quo exigenda pecunia nonnullam facti faciendive impendij partem conferat. Idcirco ex nostra certa scientia, & potestatis plenitudine ac imperiali qua fungimur authoritate, nec non procerum nostrorum habita prius
matura deliberatione, vectigal de omnibus rebus quæ per littora nostra, vel in portum nostrum Villefrancæ traijcientur aut deferentur exigendum statuimus et iussimus, ita tamen ne ultra duos de quolibet centenario nummo in quo transferendæ
res extimatæ erunt, ut cognoscant omnes quo humanius et benignius nobiscum quam cum ceteris agitur, quidq; exigatur. Mandantes Ill^ri Locumtenenti nostro generali, Senatui, Gubernatori ac Iudici maiori Niceæ, & præsertim magnifico
syncere nobis dilecto Consiliario ac Gubernatori Villefrancæ et præfecto arcis isthic constructæ Andreæ Provanæ domino Laynici cui huiusce nostræ voluntatis exequendæ præcipuam curam dedimus, ut hanc vectigalis constitutionem om-
nino observent ac à quibuscunq; observari faciant. Et ne quis eam ignorasse excipiat voce præconis per edictaq; locis consuetis indicta poena amissionis rerum quæ transducentur, ubi domini earum publicano isthic constituto plenè et ex fide
eas minime profitebuntur publicari iubeant. Sic enim fieri velle quacunq; exceptione remota hac subscriptione nostra, nostriq; sigilli appensione testamur. Dat. Bruxellis oppido Ducatus Brabantiæ die vigesimo octavo mensis Februarij
Anno domini. Millesimo. Quingentesimo Quinquagesimo octavo.

E. Philibert

V Jo. Thomas lang cus
a Stroppa

Fabri

8.4 Édit du duc de Savoie instituant un impôt en vue de la fortification du port de Villefranche, 28 février 1558.
AD06, Ni droit de Villefranche, mazzo 1 n° 7